

Christo fuerunt, quamvis non sub generalis poenitentiae notione; plane consequitur, poenitentiam, quae virtus eadem, que justitia, locum in Christo habuisse, quatenus animum duntaxat disponit ad jus divinum servandum.

Atque hisce satisfactum ex iis, quae pro objectione firmanda supra afferebantur. Soluta item est quæstio de subjecto remoto poenitentie: nam ejus proximum subjectum esse voluntatem per se claret.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM MATERIALE VIRTUTIS POENITENTIE?

10. *Nota.* Pœnitentia duplice spectari potest: 1º. adæquate secundum completam rationem suam, et secundum actus omnes, quos exercere valet: in qua acceptione cum varia illi incumbant officia, materiam quoque universaliorem habet, in quam per actus tam prosequentes, quam aversantes fertur: sicut delectatio illicita est materia, quam fugit castitas; e contra puritas corporis est ejusdem virtutis materia amplectenda.

2º. Eadem virtus pœnitentia plerumque in sensu arctiore sumitur, prout ex notione nominis retractationem facti prioris significat: quo in sensu exercet munus detestandi peccata a pœnitente commissa, deque illis dolendi, eaque omnino destruendi, atque in actibus istis præcise sistit. Secundum hanc acceptiōnē pœnitentiae objectum maxime considerari solet: ex hujus enim materiæ notitia virtutis ejusdem laxius sumptae officia reliqua promptius conjici possunt.

11. *Dico.* Objectum materiale pœnitentiae virtutis proprie magis spectatae est peccatum; mortale præsertim, a pœnitente ipso ante commissum, prout detestandum ac destruendum.

Prob. I. S. Scriptura objectum hoc pœnitentiae designat: Lev. 5. v. 5. *Agat pœnitentiam pro peccato.* Ezech. 48. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est.* Et multa alia id genus testimonia in sacris litteris passim occurunt. Ubi etiam pœnitentia, ita proprie accepta, peccatoribus attribuitur, ut Luc. 5. v. 32. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Et Manasses in oratione, quæ sacrorum librorum canoni subnecti solet: *Non posuisti, inquit, pœnitentiam justis, qui tibi non peccaverunt.*

Prob. II. His concordant sententiae Patrum, quas art. 1. attulimus. Accedit S. EPHREM, qui L. de judicio extremo c. 5. *Compunctio*, inquit, *remissionem delictorum nobis acquirit.* Et iterum S. JOAN. CHRYSOSTOMUS homil. 5. de Pœnitentia (al. 7. opp. t. 2. p. 327. B.) vocat pœnitentiam *peccati constatorum;* et (p. 331. B.) *medicinam peccata nostra delentem.* Et Theologi cum Magistro dist. 14. et 47. et S. Thoma q. 83. art. 1. et 2. et q. præcedente a. 2. ubi dicit, actus peccatoris pœnitentis esse proximam materiam sacramenti pœnitentiae: materiam autem illorum actuum esse ipsa peccata. Actus vero tales sunt virtutis pœnitentiae.

Prob. III. Objectum materiale virtutis aversativæ est, quod opponitur honestati, quam virtus prosequitur: atqui peccatum violat jus divinum,

quod reparare sibi honestum dicit pœnitentia; ergo peccatum est objectum materiale pœnitentiae, cuius virtutis actus præcipius est retractatio peccati.

12. Ex modo disputatis sequentia porismata deducimus: 1º. Peccata venialia etiam objecta esse virtutis pœnitentiae: nam si virtus ita in sensu lato consideretur, displicet virtuti cuilibet peccatum veniale propter turpidinem, quam unumquodque in specie propria habet: ut leve mendacium, prout veritati repugnat, ab hac virtute odio habetur ac detestationi: caritas peccatum veniale quodvis luget, in quantum Deo amico invisum est, et virtutis hujus theologicæ fervorem imminuit.

Quod si etiam virtus pœnitentiae speciatim et in acceptione magis propria spectetur, sub objecto suo adæquo peccata venialia comprehendit: quamvis enim hoc peccatum non tam propria Dei sit offendio, ac est culpa lethalis; revera tamen aliqualis est injuria, tum quod aliquo modo pugnet cum voluntate et lege Dei, tum etiam quod nec ordinetur, nec possit ordinari ad Deum ut finem ultimum, quo nostra omnia referri debent: quapropter etiam ab ingressu beatitudinis hominem retardat.

2º. Peccata habitualia ipsius pœnitentis objectum materiale proximum esse hujus virtutis. Nam, ut S. Thomas q. 83. a. 2. ad 1. ait, proprium virtutis hujus munus est, intendere destructionem peccati: solum autem habitualis peccatum in peccatore resipiente adhuc haeret quoad maculam et reatum; ergo hoc potest solum destruere, ut ut de actu præterito doleat, eumque detestetur: neque enim virtus ista solum fugit committere actum peccati, sed etiam statum ipsum peccati detestatur; cum peccatum habitualis et actuale in eodem genere deformitatis convenient, sicut actus et habitus bonus convenient in eadem honestate virtutis.

3º. Ejusdem virtutis pœnitentiae objectum materiale proximum ac directum est peccatum omne, quod committi adhuc potest. Nam actus pœnitentis præcipui sunt tristitia de peccato commisso, ejusque detestatio, qui actus ambo sunt de malo præsenti, atque oriuntur ex odio, qui affectus malum secundum se respicit, præscindendo, præsensne illud sit, an absens. Ergo sicut hoc odium in pœnitente tristitiam ciet de peccato præsenti ejusque abominationem: ita in eodem excitat aversionem et fugam a peccatis absentibus et quasi ingruentibus. Id quod constat ex Conc. Tridentino Sess. 14. c. 4. ubi dicitur, veram pœnitentiam includere propositum non peccandi de cætero. Et ex illo 2. Cor. 7. v. 10. ubi Apostolus: *Quæ, inquit, secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur:* nam cum pœnitentia ipsa sit tristitia, pœnitentiae actum alium operatur, hoc est, perpetuum odium et fugam peccatorum, quæ committi deinceps possent.

4º. Peccatum originale non est objectum pœnitentiae virtutis proprie sumptæ. Nam de peccato actuali est pœnitentia proprie, inquit S. Th. q. 84. a. 2. ad 3. *quia proprie dicimus pœnitere de his, quæ nostra voluntate commisimus...* sed peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi, quo Apostolus Rom. 5. In quo omnes peccaverunt. In quantum tamen large accipitur pœnitentia pro quacunque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato originali. Ex quibus conficitur, peccata aliena multo minus ad objectum pœnitentiae pertinere, nisi prout sensu latiore accepta

tanguam simplex affectus justitiae erga Deum ab omni injuria in Deum commissa abhorret.

5º. Cum habitus quilibet potentiae appetitiae primo ac proxime tendat in bonitatem finis, et propter hanc in objecta cetera; virtus quoque poenitentiae per suos actus fertur prius in bonum cui, videlicet in jus divinum salvum servandum, tanguam in objectum suum proprium et immediatum, ac postea peccatum bono illi contrarium praeceps ac generatim *odit*. Quod si peccatum praesens fuerit, excitatur maculae hujus eruendae desiderium. Porro suboritur *dolor* ex malo praesente, et *detestatio* seu voluntas efficax peccatum destruendi. Sequitur deinde *consultatio* de mediis, et commodiorum mediorum electio. Hec excipit *voluntas satisfaciendi* Ieso Deo, et semetipsum puniendi, qua voluntate malum poenae amatur. Denique *propositum* peccata quovis modo deinceps vitandi, totam actuum istorum seriem claudit. Ad quam quidem actuum plurimum consecutionem poenitentiae habitus absolute et in tota sua latitudine spectatus sese extendit.

Si autem pressius, ut in praesens consideratur poenitentia, prout in peccatum fertur per modum resipiscientiae, tristitiae, atque detestationis laboriosae, quae respiciat malum quodammodo praesens; actus ejus tendunt in peccatum tantum a nobis aliquando admissum, et quodammodo adhuc perseverans vel ratione maculae habitualis, vel ratione reatus, pro quo nondum satisfactum sit, vel denique ratione denominationis extrinsecuae, qua vere dicitur olim fuisse a nobis perpetratum, licet quoad maculam et reatum sit jam expunctum.

13. Obj. I. Poenitentia proxime versatur circa destructionem peccati, quam potissimum intendit; ergo objectum poenitentiae proximum et immediatum non est peccatum.

R. N. Cons. Ut objectum aliquod materia proxima virtutis esse dicatur, sufficit, hanc per actum aliquem circa illud immediate versari: at poenitentia per actus suos elicitos displicantiae ac tristitiae proximeaversatur peccata. Deinde si bonum ut obtinendum dicitur esse proximum objectum intentionis, seu spei, aut desiderii, cur non etiam respectu intentionis poenitentiae peccatum, ut destruendum, sit objectum actus illius? Neque enim ibi sunt proprie duo objecta, sed unum cum respectu ad subjectum, cui obtinendum est, vel a quo est expellendum. De formali autem intentione vel expulsione loquor, de qua procedit objectio: nam respectu subjecti vel mediorum alia ratio esse potest.

Inst. Quando detestor peccatum, quia jus Dei violat, simul amo aequalitatem cum jure divino, quod peccato tollitur: atqui idem actus nequit esse amor et odium; ergo per actum poenitentiae mediate tantum detestor peccatum.

R. D. M. Exequationem juris divini simul amo formaliter N. virtualiter C.

D. etiam assumpt. Idem actus nequit esse amor et odium formaliter et respectu eodem C. virtualiter ac diverso respectu N. Potest etiam duplex actus esse, quorum prior sit voluntas satisfaciendi et compensandi illatam Deo injuriam, unde actus subsequens, aversio a peccato, imperetur: ubi nihilominus uterque actus ferretur in idem motivum formale, nempe in aequalitatem cum divino jure.

14. Obj. II. Peccatum actuale praeteritum non amplius est: quod autem non est, non possum retractare; ergo poenitentia non retractat peccatum praeteritum.

R. D. M. Peccatum praeteritum amplius non est actu et physice C. non est habitu ac moraliter N. In peccato sunt actus et malitia. Actus gignit habitum vitiosum inclinantem ad actus similes. Malitia post se relinquit culpam habitualis, et reatum poenae. Culpa habitualis complectitur maculam, offendam, et injuriam. Et macula quidem est duplex animae peccataricis deformitas: altera, quae consistit in respectu ad actum peccati praeteritum moraliter permanentem; altera est privatio gratiae, ut habet S. Thomas 1. 2. q. 86. a. 1. Offensa vero in eo sita est, quod homo per voluntariam defectionem a Deo, ipsi dispiceat, et amicitia ipsius indignum se reddat. Inuria autem, quod violetur jus divinum, quo tenetur homo Deo fini ultimo plus adhaerere, quam creaturis. Denique reatus est ortum ex peccato actuali morale debitum subeundi poenam. Ex hisce habitus vitiosus physice haeret in peccatore, cetera moraliter, vere tamen, et sunt omnia cum actu ipso praeterito adhuc objective menti obversante objectum materiale proximum poenitentiae, quae illa aversatur, et quibus potest modis conatur abolere. Ac licet habitus peccati, ac reatus etiam omnis essent sublati, justus tamen poenitens odit adhuc peccatum aliquando a se admissum, de actu hoc tristatur, optatque, nunquam illud a se admissum fuisse, quo modo illud detestatur et retractat.

Inst. 1. Peccatum habitualis non est liberum, cum necessario sequatur ex actuali; ergo non est objectum poenitentiae.

R. D. Ant. Peccatum habitualis non est liberum antecedenter N. consequenter C. Qui deliberate eligit transgressionem legis, etiam culpam habitualis et reatum censemur velle. Quanquam et ista ambo liberum sit peccatori tollere; cum Deus poenitenti veniam spoponderit.

Inst. 2. Si peccatum habitualis est objectum proximum et immediatum poenitentiae; ergo etiam peccatum originale erit tale objectum, cum et ipsum sit peccatum habitualis.

R. N. Illat. Peccatum habitualis est homini voluntarium per proprium actum: et ideo vere pertinet ad poenitentiam praeceps considerafam, ut exercet actum contritionis et retractionis facti prioris. Peccatum autem originale non respicit actum proprium, per quem sit voluntarium. Igitur pertinet tantum ad poenitentiam largius sumptam, quae est simplex affectus justitiae ad Deum, et odit omnem statum injustitiae, quacumque ratione contractum.

ARTICULUS IV.

UTRUM OMNE PECCATUM SIT OBJECTUM VIRTUTIS POENITENTIAE?

15. Nota. Dubitationem istam S. Thomas q. 96. a. 1. ita proponit: *Utrum per poenitentiam omnia peccata removeantur?* ac duobus modis, ait, intelligendum hoc esse, uno, an omnis peccator possit agere veram poenitentiam; an vero ob multitudinem et gravitatem peccatorum quidam ita a Deo desertantur, ut nunquam sint auxilium gratiae ad recte poenitendum habituri?